

**R**eamtu sedam d  
p̄cōe elemofinis in dionisi: resp  
re p̄p̄tus sup̄ famulos rudo p̄  
quoz opibz tibi gr̄e referuntur.  
fac eos p̄mo beatos: ut recipi  
ant p̄parus magna p̄terren  
relecta p̄ tēporealibz sempiterna  
**D**ns qui tuoz ve

des dat: que capi  
cula soluat: et de eius liberati  
one nos cito beneficiat. **Ps.**  
**R**epes meas qd̄ tunc hēman  
graudi: et p̄ her sacra membra  
que sumptum: famulū hūmā  
aunoris sue captivitas ab  
solue. **Ps. p̄ p̄p̄m̄ d̄s**



Dialogus de Adventu  
Admonitio Pauli III ad Caro: p  
lun: doctores: Carch: De Ene  
nda ecclia  
Pauli III. pro Reductio  
Archiep: Apyulini Legati  
in Ger  
Pauli III. Concilij Tridensis conuo:  
Iulij III Pontif: creatio  
Eiusdem Coronatio  
Ipsa de Germanis iudicium  
Ius & Comparatio confectio  
Illa Satana ad Papam  
Episcopi Mandatorum Regis Anglie  
Anno Corvatio, Joan: Genesij  
Adversus de Asja et partibus eius

Regiæ Maiestatis  
Angliæ &c. Mandatorum  
Epitome, ex præscripto,  
Ad subditos suos, tam  
Sacris addictos,  
quàm laicos.

*Ex Anglico sermone  
in Latinum uersa.*

Ædita per ipsam R.M.  
anno Domini 1547  
mense Iulio.

in  
memoria et amemto

EPITOME MANDA-  
TORVM.



Ex consilio auunculi sui, D. Ducis Somersethi, protectoris Regnorum, & assensu Senatus, precipit subditis obseruandos subsequentes Canones seu Articulos, partim autoritate clarissimæ memoriæ, Regis Henrici Octauæ conditos, partim nunc per Regiam Maiestatem assertos, ut auerruncetur tandem hypocrisis, & sacrorum abusus, & suppullulet uera Religio, per omnes suæ Maiestatis ditiones.

Primus articulus.

**D**iaconi, Archidiaconi, Pastores, Vicarii, & cæteri ecclesiastici ordinis uiri, integra fide obseruabunt et quoad ei fieri poterit, obseruari curabunt, tam decreta abolendæ Papisticæ tyrannidi, quàm confirmandæ Regiæ Iurisdictioni, eiq; meræ, in Anglicanam Hiberniensemq; Ecclesias. Deinde sacris operati omnes animarum Pastores sincerè & candidè quater saltem in anno exponent pro concione, potestatem Papæ affectatam, nullo legis diuinæ fundamento innixam, abrogatam fuisse & extinctam iustissimis de causis, ac proinde nihil obligatos illi, soli Regi præ cæteris Orbis principibus, ut supremo capiti mox à Deo, adherere ac morem gerere debere. Præterea ut extirpetur radicitus ex animis hominum

minum superstitio, debebūt obliterabuntq̄  
Idolorum cultum, miraculorumq̄ fidem  
eleuabunt, à solo Deo, autore omniū, iugī  
precum intercessione ualetudinem & bene-  
ficia sollicitanda, adfirmando.

2 Idem uiri facient aut fieri curabunt,  
quater saltem in anno, concionē purē Chri-  
stianam in suis quisq̄ Parochijs, exhortan-  
tes ad fidem, gratiam, & charitatē, suos au-  
ditores: quodq̄ opera subdolis ingenijs ex-  
cogitata, de peregrinatione, pecuniæ obla-  
tione, cereorum accensu, deoscultatione ima-  
ginum, & sphæruis precatorijs percensē-  
dis, interdicta sint passim diuinis scriptis,  
nedum proficiant nihil.

3 Imagines miraculorum nomine peti-  
tas, illi ipsi (nō priuati homines) abolebūt,  
neq̄ permittent eas facibus, candelis, lych-  
nis, aut cereis imagunculis adorari: accēsis  
in suprema ara duabus tātū cādelis ante  
Sacramentū, quæ relinquēter in indicium,  
quòd Christus sit uera lux mundi: addita  
admonitione, quòd imagines fuerint um-  
bræ solūmodò ac monumenta uitæ ab illis  
sanctè actæ, nō tamen mereātur cultū: ubi  
in piaculare idololatriæ crimē impingitur.

4 Idem diebus festis, quibus non habe-  
tur ad plebem concio, mox ab Euangelio  
recitato, clarè & articulatè præibunt Angli-  
cana lingua Dominicam Orationem, Sym-  
bolum Apostolicum, & Decem legis præce-  
pta, quò memoriter ea uulgus ediscat: ex-

A 2

intransmissis datus  
mentum et amittit



hortando parētes & patresfamilias, eadem  
ut pueris famulisq; identidem instillent.

5 Parentibus, Pædagogis, præceptoribusq; hanc quoque curam imprimēt, ut à primis incunabulis, liberos suos famulosq; literis mancipent, aut liberali cuiuspiam artificio, uel matrimonio dedicent, dissuasores inertiae & otij, malorum omnium fontis & uitiosorum seminarij.

6 Vti satagant quàm maxima cum reuerentia, ut administrantur Sacramēta. Deinde ut iusta quapiã de causa absentes à suis Ecclesijs, sufficiant uiros bonos, uitæ sanctimoniam & eruditione cōspicuos, nisi in nasam sese ipsi inuoluere uelint inextricabilem: & ne tam suis studeant commodis, quàm animarum profectui.

7 Vt intra trimestre spaciũ ab hac uisitatione, comparent Biblia Anglica in amplissimo uolumine: atq; ante exactum annum Paraphrases Erasmi in Euangelia Anglicè redditas, collocentq; uerunque opus in suis Templis loco accommodo. Precium librorum ex æquo persoluent Parochus & subditorum grex. Exhortabuntur suos adlectionem Bibliorum, & Scripturæ sacrae, ut uiui uerbi Dei, & singularis animarum alimoniam: unde melius cognoscent obseruantiam Deo, Regi, & proximis debitã. Deinde interdicient etiam Regis nomine, contentionis studium inter legendũ: quin potius ut legentis uerba pronis auribus accipiant, auctores erant.

8 Nunquam, nisi honesta exigat necessitas, œnopolia frequentabunt, aut ceruisiaras tabernas. Itidem à sumpto cibo non dabunt se comestationi aut ocio, aut ludis aleatorijs: Sed per ocium legent aliquid audient'ue è sacris libris: aut honesto in negotio occupati erunt: apud animum quisque suum cogitantes, quàm debeant alijs præstare uitæ puritate, & exemplum uitæ innocenter Christianeque actæ uulgo præbere.

9 Quadragesimæ tempore examinabunt confitentes omnes, an calleant Fidei articulos, precationem Dominicam, cum Decem legis præceptis, & poscent etiam à singulis eorum omnium recitationem, declarando, Christiano homini ea esse tenenda prius, quàm ad Sacrosanctam Synaxin accedant, alioqui ineptos esse adeundæ mensæ Dei, absque absoluta eorum cognitione pariter & integra uoluntate obseruandi: quòd si faciant, periclitari eos de animæ salute, & infamia publica in posterum.

10 Ne permittant quosuis promiscuè in suis Ecclesijs cõcionari, ni sint idonei subeundæ illi prouinciæ, admissique uel à Rege, uel Prorege, uel Cantuariensi Eboracensi'ue Archiepiscopis, uel illius Diocesis Episcopo.

11 Si cõmendarint antehac unquã apud suos peregrinationes, reliquiarum aut simulachrorum cultum, candelarum accensionem, deosculationes, ingenuationes, & integendi simulachra studium, eiusque generis

A 3

Intransmissi patris  
memini et amendo



superstitiones, horum omnium palinodiam publicè canent, damnabuntque suum errorem, profitentes seductos fuisse publico omnium errore et abusu, qui occultis cuniculis in Ecclesiam irrepserat, astu & avaritia eorum qui luculenta inde emolumenta senserant.

12 Quod si cognorint uspiam, qui obicem struat profectui uerbi Diuini, aut impediatur sinceram Euangelij annunciationem, aut horum mandatorum executionem: aut faueat Romani pontificis fictitiæ potestati, legibus Regni iustissimas ob causas damnatæ & abolitæ, istius nomen referent ad Regem, Consiliarios, aut proximum Prætorum, ditionis'ue Iudicem.

13 Quilibet Pastor cum suo grege toto quaquam patet Regno, seruabunt syllabum siue catalogum omnium toto anno matrimonia contrahentium, infantium baptisatorum & funerum, annotando diem ei rei proprium, & nomen cuiusque. Cui uolumini tuendo comparabitur publico ære arca bene munita duplici sera & binis clauibus: quarum una erit penes Pastorem, siue Vicarium: altera penes Aedituos, seu templi Præfectos. Hoc uolumen singulis diebus Dominicis explicabitur coram utroque Aedituo, uel altero saltem, & adnotabit præteritæ hebdomadæ matrimoniorum, baptisatorum, funerumque nomina: quo facto, repositorio iterum includetur. Quotiescunque uero alterutrius partis incuria omissum istud fuerit



fuerit, 40 denarij mulctæ nomine pendēdi  
erunt, in usum pauperum illius Parochiæ,

14 Quum Ecclesiæ bonorū nomine cen  
seantur pauperū bona, nihilq; minus obser  
uari uideamus hac tēpestate, quā ut inde  
foueantur alanturq; egeni, sacrificorū om  
ne genus, quod censum quidem habet Ec  
clesiasticū, & è sacerdotijs uiuit, non tamen  
in loco beneficij degit, cuius prouentus an  
nuus æquat uel superat libras uicenas, de  
cætero in egenos illius Parochiæ dispartie  
tur quadragesimam reddituum suorum par  
tem coram Aedituis, aut integræ famæ quo  
piam ex ea ipsa Parochia: nisi notari uelint  
meritę ingratitudinis, qui quadragesimam  
portionē egenis è tam lucroso sibi & profi  
cua sacerdotio decidere nequeant.

15 Atq; ut lætior sit uberiorq; doctorum  
hominum prouentus, Sacrifici, Clerici, aut  
sacerdotia habentes, quibus centum annuę  
redeūt libræ, numerabūt uni studioso com  
modum stipēdium in Oxoniensi aut Can  
tabrigiensi gymnasijs, aut alio quopiā pæ  
dagogio: ita ut pro singulis librarum centu  
rijs, totidem studiosis stipem persoluāt: qui  
literis exculti, patronorum humeris incum  
bens onus fulcire & leuius reddere, uel con  
cionibus, uel alio officio quopiā, aut (si po  
stulet necessitas) Rempublicam consilio &  
prudētia iuuare poterunt.

16 Idem, habentes in hoc Decanatu  
templa, ædiculas, sacraria ruinosa & lacera,

A 4

IN MANU D. D. D.

MEMORIAM ET AMEN

æquam portionem in tuendis illis fartis re-  
ctis in posterum quotannis dependent.

17 Idē singulis anni quatuor partibus,  
semel aduocata cōcione legent distinctè ha-  
sce præceptiones, quò & ipsi sui officij ad-  
moneantur, & subditi fidelius sequantur.

18 Quoniam ex lege quisq; tenetur an-  
niuersaria nomina persoluere, nemo de-  
fraudabit suum Pastorē aut Vicariū, recepta  
de more stipe. Quòd si quid uitij aut macu-  
lę in suis Vicarijs causentur subditi citra ma-  
leuolētię suspicionē, referent istud ad supe-  
riores Magistratus, quorū cura erit prospici-  
cere istiusmodi querelas, easq; componere.

19 Nullus immutare esurialium feriarū,  
precum, aut sacrorum rationem præsumat  
in aliam formam, quàm in hisce præceptio-  
nibus exponitur, ad id usq; tempus, quo ex  
autoritate Regia ea ratio mutabitur.

20 Item sacrifici quicumq; tandē, ad gra-  
dum Baccalaureatus in Theologia nondū  
prouecti, ante tertium ab hac uisitatione  
mensē, cōparabunt de suo Nouum Testa-  
mentum, tam Latinū quàm Anglicū, cum  
Paraphrasi Erasmi, diligēti studio utrunq;  
conferendo: Vbi ea requiretur ab Episcopis  
eorumq; Syndicis delegatisq; cura, ut præ-  
dictos sacrificos in conuentibus suis exami-  
nēt, quid in sacrę lectiōis studio pfecerint.

21 Præterea in singulis Ecclesijs, qui di-  
ctat cantat'ue summū sacrum, leget aut le-  
genda clara uoce curabit Epistolam & Euā-  
gelium

gelium eius diei Anglico sermone, non Latino, in pulpito aut loco idoneo, unde populus exaudiat. Deinde quolibet die Dominico Festoq; , clarè & articulatè eodè in loco pronuntiabitur Caput unum è Nouo Testamento Anglicè, statim à Lectionibus (quas uocant) recitatis : itidem in Vesperis post Deiparæ Virginis Canticum (Magnificat dicitur) Caput unum è Veteri Testamento. Proinde ut commodissimè ista fiant, uisum est Regi, de nouem Lectionibus tres summoueri cum suis Responsis: Rursus in Vesperis Responsa cum Memorijs uniuersis omitti.

22 Quoniam ægri de uita periclitantes, sæpenumero artibus impediti & suggestu dæmonis in desperationem prolabuntur, huic nefando malo occurrendum est. Itaq; quò fidei imbecillæ homines, & solida fiducia defecti, participare queant infinitam omnipotētis Dei miserationem, nullis nostris meritis impensam, omnibus in eo certam spem collocantibus benignè oblatam, dicti sacerdotes ediscent atq; habebunt in promptu consolatorias sententias, è sacrarū literarum penu congestas, quæ insinuant misericordiam, beneficia, & benignitatem Dei erga pœnitentes, ut urgente necessitate uiuo Dei uerbo, unico conscientiarum admīniculo, gregem suum consolentur.

23 Præterea uti tollantur contentiones, quæ inter oppidanos solēt surgere de prin-

A 5

Memoria dantis  
memum et amendo



cipatu dignioreque loco in publicis pom-  
pis, utq; fructuosius lecta aut cantata audi-  
re possint, abrogantur pompæ circum ædes  
sacras & cœmiteria. Ceterum sacrifici cum  
suis chorostatis ante summū sacrum in me-  
dio templi in genua procumbentes canent  
pronunciabunt'ue clara & articulata uoce  
Supplicationes, Litanias nominant, Angli-  
cè æditas cum suffragiis in sequentibus: reli-  
quis omnis generis processibus seu pōpis  
missis factis. In cathedralibus collegiatisq;  
Ecclesiis loci huic instituto per Regios Cō-  
missarios designabuntur. Deinde, quum  
obeuntur Litiariæ, sacrum summū, concio,  
& lectio ad populum è sacra scriptura, ne-  
mo, nisi iustissima de causa, subducet se è tē-  
plo: quo toto tempore campanarum & tin-  
tinnabulorum strepitus cessabit, præter u-  
nius nolæ pulsum ante concionem.

24. Quemadmodū profani dies dicati  
fuere laboribus, quibus uictum quæreret  
plebs: ita festus dies à primordio sanctè fuit  
institutus, quo Deo uacaret eadem à curis  
libera. Nūc cum feriis magis iritetur quàm  
placetur ira numinis, ob ocia, fastus, temu-  
lētias, iurgia, altercationes, ijs diebus penè  
peculiaria uitia: atq; interim uulgus homi-  
num satis fecisse se dei cultui, auditis sacris,  
existimet, de cætero fideles Regis subditi fe-  
stos dies celebrabunt, quem in modū Deus  
uoluit, audiendi Verbum Dei, prælectum  
pariter, & expositione illustratum: publi-  
cis

cis priuatisq; precibus: confitendo sua delicta Deo: uitam emaculando: reconciliandis sibi proximis, cū quibus similtas fuit: frequenter corpus Dominicum sumendo: uisitando inopes & ægros: sobria uita: colloquijs de rebus diuinis. Nihilominus docebunt Pastores citra morsum conscientiae diebus etiam festis messem facere, & tueri dona Dei posse: ac grauitè offendere Deū, si cum scrupulo superstitiosè in huiusmodi diebus à labore supersedeant.

25 Quandoquidem inimicitiae summè exasperant Deum, & in primis repugnant sacrosanctæ Communioni, ab ea excludet Pastor, quos norit palàm & pessimo exemplo dissidere, donec deposita similtate in gratiam mutuò redierint: causas tamen & ius quisq; suum liberaliter prosequi poterit apud Magistratus, audiendis iniurijs componendisq; dissidijs institutos.

26 Decani, Archidiaconi, Præsides Collegiatarū Ecclesiarū, Xenodochiorū Magistri, Præbendarij, quotquot sacris sunt initiati, bis saltē in anno, locis unde titulū præferunt, aut in Ecclesia, in quam Iurisdictionē prætendunt, concionari ipsimet debebunt.

27 Docebunt nō esse uiolandas aut infringendas obstinatè & peruicaciter laudatas Ecclesiae Ceremonias, per Regem cōfirmatas, ac nondū abrogatas: Rursus incurrere præsens animæ salutis discrimē, qui superstitiosius æquo ijs abutūtur, cuiusmodi sunt:

intransmissis datus

memum et amittit

sunt: aspergo aquæ lustralis in lectos, simæ  
lacræ, aliasq; res inanimes: gestatio panis sa-  
crati, aut Euangelij Ioannis: cruces è ligno  
fingere in die Palmarum, aut inter legen-  
dum passionem Dominicâ: observatio pri-  
uatorum festorum, à fabris, pistoribus, cal-  
ciarijs observatorû: sonitus campanæ sacræ,  
aut cerei sacrati benedictio: quarû cæremoni-  
arum beneficio liberari à sarcina peccato-  
rû, dæmones fugari, spectra procurari per-  
suasi sunt: aut spem recuperandæ ualetudi-  
nis in ijs collocant. Itaq; grauissimè Deum  
offendunt, dum aliorum ista accipiunt,  
quàm fuerint instituta, nempe in memoriâ  
beneficiorum à Christo acceptorum.

28 Tollēt demolienturq; capsulas, urnas  
sacratas, tabulas, candelabra, cerea inuolu-  
cra, picturas, imagines depictas, et id genus  
alia monumēta miraculorum fictitiorum,  
peregrinationû, idololatriæ, & superstitionum:  
Sic ut ne memoria quidem istorû ex-  
tet reliqua in parietibus, uitreis fenestris, tã  
intra penates suos, quàm templa: Quod fa-  
ctum ut in suis quisq; ædibus imitentur, au-  
tores erunt apud populares. Utq; Aedituo  
publico ære suggestum construant, pro an-  
nunciando Verbo Dei.

29 Ut intra tertium ab hac uisitatione  
mensē, munitam cistam publicis impēsis  
redimant, in superiore parte foramine per-  
tufam, tribus diuersi generis clauib⁹ in stru-  
ctam: quarû una penes Pastorē Vicariū ue,  
reliquis

reliquæ duæ penes Aedituos, aut delectos  
annuo officio uiros bonos erunt. Ea cista  
firmabitur ante primariam aram, in quam  
elemosynas, in uicinos egenos erogandas,  
coniciat quisq;. Pastor aut Vicarius per oc-  
casionem, præcipueq; in condendis testa-  
mentis, hortabitur studiosè, pro suis facul-  
tatibus ut singuli in prædictam arcam con-  
ferant: Ac enim uerò quum superioribus se-  
culis magnas opes profuderint ipsi, eorūq;  
Maiores, in alium à diuino mādato usum:  
in Indulgentias, Peregrinationes, Indumē-  
ta simulachrorū, Candelarum oblationes,  
Donationes in Monasteria, eiusq; generis  
friuelas & cæcas religiones: hoc tēpore mo-  
nebit longè propensiores esse debere in su-  
stentādis pauperibus, qui uerus est Dei cul-  
tus, Deoq; acceptissimus. Has elemosynas  
qui claues a seruāt, idoneo tempore coram  
uniuerso popularium cœtu, aut saltem sex  
delectis, fide optima in egenos erogabunt:  
quibus si sit abundè prospectū, secundariò  
reparādis uijs regijs impendent. Adde huc  
quòd collectitiæ pecunię sodalitorū in ean-  
dem cistam affundentur, in eundem usum  
uti cedant. Itē redditus ex agris: lucrū quod  
ex armentorū pastu colligitur: pecunię uim  
relictæ pro emendis facibus, cereis, lychnis,  
ad eundē usum deuoluētur: nisi quòd por-  
tionē dictorū emolumentorū sarciedę repa-  
rādaq; ædi, si ferat usus, impendere fas erit.

30 Sacerdotes cum sint publici Ecclesiæ  
mini-

IN PRINCIPALI BARRIS

MEMBRUM ET ARMILLIS



ministri, debeantq; festis diebus toti Paro-  
chia se dare, non tenebuntur puerperas in-  
uisere, nisi periculose laborantes: neq; cada-  
uera domo efferre, & cum pompa ad tumu-  
lum comitari, priusquam ad cœmiteria per-  
ducta fuerint: tum enim humo, pro more,  
mandare ea licebit.

31 Vt obruatur teterrimum Symoniæ uĩ-  
tium, quo uelut institoris operis mercan-  
tur, uenūdantq; sacrificia: decernitur, quod  
qui redimunt ea, aut occultis artibus & im-  
posturis interuertunt, nedum priuabuntur,  
uerumetiam declarabuntur in posterum in-  
digni spirituali quopiã gradu. Rursus qui  
diuendunt, aut prætextu aliquo ementito  
spe lucri ea resignant, amittent ius patrona-  
tus, ac donatio cedit Regi.

32 Quoniam præ inopia concionatorũ,  
plebs in altis ignorantia tenebris & cæcita-  
te uersatur, Pastores Vicarij ue præbunt le-  
gẽdo quolibet die dominico in suis ecclesiis  
unã ex Omilijs, autoritate Regia prælo tra-  
ditis, ea ratione quã libri procemiũ docebit.

33 Plerique inepti homines ac proterui,  
despiciunt & male tractant Sacerdotes &  
Ecclesiæ ministros, eo quod plerique ex il-  
lis parum docti, addictiores superstitioni  
fuerint, quã ueritati: de cætero ob munus  
suum à Deo delegatum, Rex uult & man-  
dat fidelibus subditis, eos amicè ac reueren-  
ter habendos, præsertim qui Verbum Dei  
promouere satagunt.

Latinæ



34 Latinae linguae imperiti, non alias sequuntur preces horarias, quam superiori anno Anglicè aeditas, auctoritate Henrici VIII clarissimae memoriae Regis. Paedagogi primae iuventuti non aliū proponunt librum. At Latinae linguae cognitionem habentes, similiter non alias terent Horarias preces, quam eadem auctoritate prelo excusas. Gratiarum quoque actiones in prandio coenaue Anglicè dicuntur. Nec alia Grammatices institutio pueris proponetur usquam, quam praedictae auctoritatis assensu in lucē aedita.

35 Sacerdotes (qui animarum dicuntur) dabunt operam in docenda iuventute, legendo pariter & scribendo, ac bonis moribus imbuendo.

36 Quando fiet Concio, aut Omilia ad populum recitabitur, Primae (quas uocant) & Horae omittentur.

**H**as Praeceptiones R. M. tradit sacris Ordinibus, eorumque successoribus, fidelibusque suis subditis obseruandas, tuendas, sub poena priuationis beneficiorum, alienationis prouentuum, excommunicationis, & id genus coercionum, praescribendarum ex arbitrio Ordinariorum aliorumque Ecclesiasticā iurisdictionem habentium, quibus hoc muneris à Rege impositū est. Regi insuper placet, ut Praetores operas communicent cum Ordinarijs delegatis, quò debita ratione exequantur in hisce 36 Praeceptionibus contenta.

IN MANUSCRIPTIS VARIIS MEMORIS ET AMENDI





et suphūc famulū. **D.** et p̄ scā  
auro trambulū. **V.** p̄ dūi m̄  
dumite et omnia p̄ scā sua. **Ps.**

**Q**uis pacis caritatisq; ama  
tor et custos. da omnib; in  
miseriis pacem caritatēq;  
veram: cunctoz; q; eis remissio  
in sedis p̄ccoz; nosq; ab eoꝝ

**Q**uians. **D.** dñe p̄ccatū  
miseriis. et ab inimicis  
indulgētiā. **V.** dēlar

da fideliū p̄ elemosinā dicitū poss  
mandari. da famulis tuis quicunq;  
p̄ib; dona sua dederūt. p̄cib; fac  
menta miserū: ut p̄ccipientes  
benemam p̄ccoz; ut tuoz; censant  
sore iuste. **Ps.** **V.** **P**roverbia  
nos dñe q̄s sacramenta que sump  
sim: et famulos tuos p̄ccatū inten  
de: qui divina mandata recolentes  
operi indigentib; subministrant. **Ps.**  
respon. **V.** nobis delictū est ne  
ps. **V.** ita sit dñi semper accepta

**Q**uians. **D.** dñe p̄ccatū  
miseriis. et ab inimicis  
indulgētiā. **V.** dēlar



Regiæ Maiestatis  
Angliæ &c. Mandatorum  
Epitome, ex præscripto,  
Ad subditos suos, tam  
Sacris addictos,  
quàm laicos.

*Ex Anglico sermone  
in Latinum uersa.*

Adita per ipsam R.M.  
anno Domini 1547  
mense Iulio.

qui transmissi sunt  
in mentem et amorem